



Ericus Segersel dicitur filius fuit Erici regis Sueonum. Is post paterni regni sceptra nullo procerum resistente moderanda suscepit. Erat Ericus in omnibus bellis adeo fortunatus, ut nullum aggrederetur, quin subactis hostibus victor existeret. quo euentu passim ab omnibus Victoriosi cognomen tulit. quippe fortuna ut eum illustriorum efficeret, ubique illi potentissimos hostes obiecit, in primis uero Agnerum Daniæ regem. Is enim suo regno non contentus, Suetiæ partem inuadere statuit. Verum prælio commisso Agnerus maiore parte exercitus amissa, fortiter pugnans occubuit. Postea Liuoni, Finni, Estones, Curetes, &

Prussi conspirantes, magna clade Gothicalittora attigerunt. Hisce Ericus obtutam processit, atque ipsi deuictis eorum regiones sibi uectigales reddidit. Itaque huius Erici nomen non solùm domi, uerum etiam in remotioribus locis celebre habitum. Proinde Otto primus Imperator missis legatis eum sui Imperij confederatum fecit, ac multis priuilegijs ornauit, anno 950. Id cum Haraldus Daniæ rex egerrime ferret, atque in sui regni perniciem id factum assereret, Eri cum imparatum opprimere uoluit. Verum dum classem in Suetiæ dirigit, triste nuntium accepit, Ottонem Cæsarem occiduas partes Daniæ formidabili exercitu deuastare. Proinde reuocato exercitu, quem impugnandæ Gothiæ expediuerat, Ottonis conatibus mature obuiam procedendum statuit. Verum bello superatus Erici clementia pacem impetravit. Postea Ericus rex amplissimo regno (quod Tanais fluius ab Oriente, & Albis ab Occidente terminabat) potitus, id in pace & magna tranquillitate gubernauit. Tandem cum optimè præfuisset obiit, & Erico filio regnum reliquit. *Ioan. Mag. lib. 18. cap. 14.*